


154



143

152

158

nos in unum et conjectimus madinos ad invicem et contentos eos fecimus; acceptis ergo madinis facti sunt amici nostri et reonerasse bestias juverunt et ita recessimus ab invicem. Post spatium horae venerunt alii cum camelis, postulantes multum importune pretium, quia essent camelarii Alexandrini. Quibus cum diceremus, quod praecedentibus solvissemus, dimiserunt nos in pace procedere; deinde multas turmas hominum et camelorum obviam habuimus et in continuo timore stetimus metuentes invasionem. Interea cum longum iter super oram maris fecissimus, contra montana quaedam non alta, sed usque ad limbum maris protensa, processimus; avertimus ergo nos a mari ad montana illa, ita quod ad dexteram habuimus montana fertilia et palmarum arboribus plena, et ad radices montium illorum ab alia parte irruerant fluctus maris, ad sinistram autem habuimus (124 a) latissimum campum, conclusum ab una parte Nilo, ab altera mari magno, totus autem campus ille est salineria pretiosa, optimumque in eo sal generatur, unde, quando oculos primo in campum ipsum conjectimus, putavimus, campum illum nive aut pruina contectum, sed erat sal. Nam Nilo excrescente repletur campus ille aquis, nec eum tamen foecundat, quia aquae maris Nili aquas inficiunt easque salsas et steriles faciunt. In decrecentia ergo Nili omnis aqua remanens in campo illo actione solis in sal sapidissimum decoquitur, aqua etiam, quae in scissuris terrae et in foveis remanet, fit sal et stant in campo illo multi fontes salis; sal autem hoc optimum est omnium, quo utitur dominus Soldanus et magnum censem accipit de salineria illa.

Ende

Ingressus peregrinorum in Alexandriam, et quomodo inter portas conclusi et captivi tenti sunt et non parum tribulati et vexati.

Anfang

Cum magna festinatione salis campum pertransivimus, ut citius Alexandriam veniremus ad aliquid manducandum et bibendum, et ingressi opposita montana in crepidine per viam profundam ad terminum illorum montium venimus ibique grandes et vetustissimas murorum ruinas invenimus, in longum latumque protensas et dicebatur nobis, ibi olim antiquam stetisse Alexandriam. Vidi mus autem ante nos gloriosam civitatem Alexandriam, mari